

Penuria tem- pennis omniū. deficiunt, quid ergo fames cum tempestate? Intellige. Fames est veluti quaedam tempesta omnium tormentorum, verborum, plagarum; nam sicut in tempestate omnia elementa excitantur, ac perturbantur, sic vrgente penuria, ac fame dolores omnium cruciatuum commouentur, & excitantur, vt hominem perimant, ac consumant. Paschas. Paschasius lib. 5. Fames, dum mens affigitur, ait, diuersus plagarum verberibus cruciatur, & tempestatum procellis iactatur. Aduerte, quod vbi nostra Vulgata habet, tempestatum famis. In Græco est: tempestatum pestis. Nam sicut peste, sic fame crudeles mortis dolores circumstant ad hominem enecandum. Vide tom. 2. cap. 10. quæst. 30. n. 230. Vbi comprobati paupertatem esse quoddam mortis genus.

QVÆSTIO VII.

Quare Lazarus è domo diuitis nihil aliud requirebat, nisi tantum micæ?

47. Chrysol. D quaestione respondet. Primò D. Chrysol. serm. 122. Factum est, ait, quod caro eget, quod natura exigit, quod sufficit vite; auaritia causa est, quod homo magna, & multa recondit. Lazarus bona Philosophia eruditus bene sciebat, quod natura paruis contenta est, & ideo parua, ac micæ exoptabat, magna, & multa querere, auaritia inuentio est, mens autem fobria Lazari ad panem, ac ad sustentationem ferebatur. Docet nos Dominus orare: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Matth. 6. num. 11. Quæ verba doctè, ac eleganter expendit D. Nicæus de orat. Domin. Querere iubemur id, quod satis sit ad naturam corporis conseruandam, panem da ad Deum dicentes, non solum, non delicias, non floridas vestes, non agræ copiam, sed panem. Et subdit: Exiguum est, quod natura debet, cibum debes caruncula tue, rem modicam, paratu facilem, si visum, & necessitatem intueris. Si necessitas intueatur, exiguum est, quod natura debet. Immodicus appetitus, ac superfluitas multa inuenit, & introduxit.

48. Theophyl. Secundò. Theophylactus: Desiderabat saturari, ait, non de sumptuosis ferculis, seu de micis. Cùm mendicus esset non magnas dapes, non exquisita fercula, sed micæ tantum appetebat sui status conditioni condescendens; & dicitur, cupiebat saturari, cùm enim esset tam pauper, quid modicum multum sufficiens, ac abundans ei videbatur. Cùm fames vrgeret, & consumptus esset cibus allatus ex Ægypto. Dixit Iacob ad filios suos, reuertimini, & emite nobis pauillum escarum, Genes. 43. num. 2. Septuaginta. Emite nobis pusillas escas. Cur bonus pater pro sua magna familia pusillas quarit escas: Cum fames vrgeret, & penuria ciborum esset multa parum panis quærebat, penuriam se accommodans.

49. Chrysol. Tertiò. D. Chrysolomus homil. de Diuite: Quanta in isto pœna est? Inter tanta vulnera, non meminit doloris plagarum, sed famis cupiens saturari de micis. Totus visceribus plenus erat mendicus, quorum dolore grauissimè torquebatur, & tamen non cupiebat, à tanto dolore, ac cruciatu liberari, sed tantum exoptabat saturari de micis; famis pressura grauior super dolores, ac cruciatus omnium vulnerum, ac plagarum, & ideo cùm fame vrgeretur, cæteris corporis vulneribus veluti

obliuiscens, huic vni tantum fami remedium exoptabat. Non meminit doloris plagarum, sed famis.

Recordare paupertatis, & transmigrationis mee. Thren. 3. num. 19. Verba sunt Ierusalem ad Deum exorantis auxilium; valde mirum, quod cum ipsa ciuitas esset desolata, opprobriis affecta, à bonis suis spoliata, à filiis suis interfectis destituta, tamen primò non postulat à Deo auxilium, & leuamen super tot materias, ac afflictiones, sed super suam paupertatem, ac penuriam, qua animam paruulorum defecerunt in fame, Thren. 2. num. 19. Ac si ipsa penuria, & fame grauiori dolore esset vulnerata super omnia mala in se illata. Ad quod tendit D. Paschasius: Hanc, ait, paupertatem, magis aliquid esse putat, & ideo quasi per se agens, eius recordari rogat.

Ob magnum peccatum populi numerati venit Propheta Gad ad Dauid, & ait ei: Elige quod volueris, aut tribus annis famem, aut tribus mensibus te fugere hostes tuos: aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra, 1. Paralip. 21. num. 11. Quibus auditis eligit rex pestilentiam. Cur non potius famem; nam regi ac optimati-bus eius semper esset aliquod subsidium ab illius vexatione? Tamen bonus rex maximè suorum salutem consulens, non famem, sed pestilentiam eligit. Sciebat enim famem esse crudelius, ac acerbius telum ad perdendum, quam pestem omnia deuorantem; & ideo tanquam quid mitius pestilentiam assignat. D. Ambrosius in Psalm. 37, ad primum vers. sic ait: Famem populi vitauit, quia grauior morte, & omnibus suppliciiis habetur.

Cùm Dominus per quadraginta dies ieiunasset in deserto, ac postea esuriret; illico eum diabolus tentat, panemque proponit: Die vt lapides isti panes fiant. Qui statim reiecit à Domino, victusque recedit, aliud tamen telum parat, constituens Dominum super pinnaculum templi suadens ei, dicens: Mitte te deorsum, Matth. 4. num. 6. Cui meriò irridet D. Maxim. homil. 1. ibi: Quam turbatus, inquit, hoc sequitur, qui putat ei se posse precipitium persuadere, à quo nihil potuit de panibus impetrare. Ex eo Diaboli ignorantiam arguit quod cum, quem fame vrgente non valuit superare, precipitio intenet deuincere. Ille enim, qui angustias famis conculcauit, sine dubio de omnibus demonis machinationibus triumphabit; famis enim vexatio acutior gladius ad enecandum super omnes inferni tentationes.

QVÆSTIO VIII.

Quare tanta crudelitas, ac inhumanitas diuitis, cum ad ianuam suam haberet Lazarum, cuius ulcera illius canes lambunt?

PVLIS blandis, ait D. Chrysolomus serm. 121. ferrea viscera crudelis anima nutrebat. Qui etiam de hoc epulone ait: Diues adamante durior, sed vnde illi tanta crudelitas, ac inhumanitas à suis epulis, vt iam expendi quæst. 4. à suis etiam diuitiis, ac multa rerum copia. Duo homines crudeles, à peruersi in pauperes introducuntur in Euangelio, diues iste, & iudex ille iniquus, Qui nec Deum timebat, nec hominem reuerbatur, Luc. 18. num. 2. Armatur in pauperem

Natura paruis contenta est.

Matth. 4.

Nicæus.

Theophyl.

Propria conditioni accommodandum.

Genes. 43.

Septuag.

Chrysol.

Dolor famis super omnia vulnera.

50. Thren. 3.

Fames super omnia damna affigit.

Thren. 2.

Paschas.

51. 1. Paral. 21.

Fames crudeliter seculum quam pestilentia.

Ambros.

52.

Marth. 4. D. Maxim.

Fames efficacior ad perdendum super omnes demones tentationes.

53. Chrysol.

Luc. 18.

perem diues iste purpura, bysso, ac multa rerum abundantia, armatur & iudex sine Dei timore, nec Deum timebat, nec hominem reuerbatur. Sed quisnam inhumanior, ac obduratior? Sine dubio inexorabilior fuit diues suis bonis armatus, quam iudex sine Dei timore; nam etsi iudex valde iniquus, tamen ob multiplicatas viduæ preces, eius votis annuit; dicebat enim inter se. Etsi Deum non timeo, nec hominem reueor, tamen quia molesta est mihi hac vidua, vindicabo illam, num. 4. At verò epulo iste suis bonis armatus, nullis clamoribus, nullis lachrymis Lazari potuit flecti, vt pauperi micam panis daret. D. Chrysolomus concion. 1. de Lazaro: Nihil misericordiae sensit epulo, ait, sed illo quoque iudice, qui neque Deum timebat, nec hominem reuerbatur, & impudentior erat, & inexorabilior: nam illum quidem vidua instantia, quamuis crudeliter, & asperum, tamen flexit ad gratificandum viduæ mulieris supplicatio. Hunc vero nec ista quidem res flectere potuit ad subueniendum pauperi. Ex multa rerum opulenta homo fit valde ferox, & crudelis. Diuites eguerunt, Psalm. 33. num. 11. D. Hieronymus epist. 12. ad Eutychem legiti, Leonnes. Homo suis diuitiis affectum humanitatis deponit, & veluti naturam leoninam induit.

Huius diuitis crudelitas ex multis circumstantiis augetur. Primò, quia ipse exiens, & reuertens in domum suam perpetuò videbat Lazarum, qui ad ianuam eius iacebat, quod alta prouidentia est dispositum, vt Lazarus in bonis diuitis haberet leuamen, & diues in vulneribus pauperis medicamen; vt pulchre aduertit D. Chrysolomus serm. 124. Ob hoc, ait, egerat Deus, vt diues pauperis, pauper diuitis in epulis semper essent, quatenus vicissim sibi ambo curam de vario languore præstarent. Hinc est, quod differrebat cura pauperis, vt diues sumeret de vulnere medicinam, de gemitu compunctionem, de lachrymis penitentiam, &c. & subdit: Certè vt tantis diues bonis sultus Deo gratus esset, quando gratus Deo pauper in malis omnibus, vidente diuite, permanebat.

Secundò. Totus ipse Lazarus clamabat; nomine, nam Lazarus, id est adiutus, seu adiuuandus, clamabat voce, suspiriis, lachrymis, imò totum corpus eius clamabat, vt bene ait D. Chrysolomus serm. 121. Deus, quia obduratis auribus vnus oris, nihil erat vox clamantis, ad aperendum cor diuitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, vt in admonendo diuite, tot essent pauperis ora, quot vulnera.

Tertiò. Postes, ac limen ostij pro paupere clamabant erga diuitem. Idem D. Chrysolomus ibi: Lazarus fame sua, ait, inhumanitatis tue, diues titulos fixit. Ibi postes tuas suis visceribus laureauit. Ibi fame sua pinxit micæ tuas. Sanguis pauperis appositus in ostio, vel limine pro paupere clamabat apud diuitem, sed quia ipse obdurauit aures suas, aduersus eum sanguis stabat clamans. Oim sanguis in Iudæorum postibus eos à percussente Angelo exemit; nunc Lazari sanguis hunc diuitem damnat, & vindictam non secus, ac sanguis Abel Alterius inclamat, etiam si pauper sileret. Quartò ostenditur crudelitas diuitis, ait, Hugo; quia non multi pecebant, sed vnus tantum, & qui vni non dabat, multo minus daret pluribus.

Quintò. Manifestatur crudelitas diuitis, qui micæ suas Lazaro denegabat, quas canibus dabat. Theophylactus; Desiderabat satuari de micis illis, quibus satiabatur canes. Quid durius, & crudelius, quam canes homini anteponere; canem

ad cibum admittere, hominem verò excludere? Ait Zacharias 11. num. 2. Vlulate quercus Basan. Chaldaicus: Vlulate satrapa provinciarum. Quid est quod diuites, ac potentes seculicum quercu comparantur? Quercus arbor est alta, & sublimis fructus producit, non pro hominibus, sed pro pecoribus, ac porcis alendis, & sustentandis: sic Satrapæ, ac potenter sæculi arbores sunt altæ, & sublimes, fructus afferunt, non vt præbeant cibum pauperi, sed brutis animantibus, equis, v. g. vel canibus; æternam tamen damnationem talibus dominis. D. Ambrosius minatur lib. de Naboth cap. 13. Parietes vestris auro, ait, homines vendatis; clamat ante domum tuam nudus, & negligis: clamat homo nudus, & tu sollicitus es, quibus marmoribus pavimenta vestras. Pecuniam pauper querit, & non habet: postulat homo, & equus tuus aurum sub dentibus mandit. Sed quantum è diues sumis tibi iudicium.

Sextò. Declaratur ingens inhumanitas diuitis, eiusque damnatio, quia cum videret canes suos pauperis sanguine saturatos, adhuc non mouebatur ad subleuandum pauperem. D. Chrysolomus serm. 121. Soluit Deus, ait, pauperi manus à suis artibus, vt nec abigeret canes, quos vulneribus suis diuitis erat pasturus ad vulnus: sic humana mendicitias, vt cupiditas prodatur inhumana. Quid crudelius, quam quod pauper sanguinem fundat, vt diuitis venaticos canes alat? Daniel. 7. num. 5. ait, quod videbat. Ecce bestia alia similis vrsi in parte stetit: & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei: surge, comede carnes plurimas. In hac bestia significatur Perferum imperium, vt est communis vox D. Hieronymi, Theodoret, Cathusiani, Lyran. & aliorum, tres ordines scilicet dentium dicuntur in ore eius, per quos tres principes, seu reges, qui in illo regno præfuerunt, intelliguntur, vt ait Hugo. Cur principes, per dentes, quibus dicitur, comedite carnes plurimas designantur, quia valde infitum est principibus, vt carnes plurimas ouium, subditorem, ac inferiorum comedant, & deuorent, vt illis replentur, ac saturantur. Vide cap. 19. num. 36. & 37. & cap. 9. num. 91.

Septimò. Arguitur crudelitas diuitis, Totus fereus erat ipse in Lazarum, & tamen de humanitate erga ipsum à canibus suis admouebatur; canes enim pietatem, quam poterant, mendico tribuebant. Titus Bostren. Faciebant, ait, hoc canes, eo, quo poterant sensu vicem dolentes Lazari, curamque illius, qui ab omnibus desertus erat amice succipientes. Necnon vulnera eiusdem beneuole, medicorum more, fontes, & circumlingentes. D. Chrysolomus serm. 121. Canes, ait, non ad morsum dentes, sed linguas ad obsequium sic produunt, vt in modum spongie, non vexent vulnera, sed tergant. Quod canes hoc studio fecere, curantium vsus ipse, qui semper est in oculis probat. Nam canes lambendo semper curant vulnera sua. Negat diues micæ affectu crudelitatis, lambunt canes vulnera studio benignitatis, humaniores erant canes, quam homines domus diuitis.

Ait Christus Dominus suis discipulis: Caute, vos ab hominibus, tradunt enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis, Matth. 10. num. 27. Discipuli Domini flammis, feris, ac pelago tradebantur; cur ergo solum Dominus mandat, vt caueant ab hominibus, non verò à feris, vel flammis? crudelitas hominis maior, ac ineuitabilior, quam ferarum, ignis, ac pelagi, qui enim homo multa ingenij

Zach. 11. Chald.

Diuites negat pauperi, & dant brutis animalibus.

Ambros.

58.

Chrysol.

Daniel. 7.

Hieroa. Theodot. Cathus. Lyran.

Hugo.

Principes deuorat carnes subditorum.

59.

Diues crudelior brutis animalibus.

Bostren.

Chrysol.

60. Matth. 10.

Homo crudelior feris.



dexteritate polleat, sic agnoscit circumuenire odiosum sibi, vt quilibet difficiliter eius manus valeat effugere ac deuitate. Imperfectus homil. 24. Nunc autem addidit, attendite vobis ab hominibus: ostendere volens, quia pra omnibus malis homo est pessimum malum. Nam si bestis comparare volueris, peiorem inuenies eum. Bestia enim, quamuis sit crudelis, tamen quia est irrationabilis, declinabitur ab homine crudelitas eius. Homo autem crudelis cum sit & rationalis, non facile euadetur crudelitas eius. Quod late multis ipse profequitur. Vide supra cap. 17. num. 153, 154. & 155.

Luc. 16. n. 22. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues? Et sepultus est in inferno.

VERSIONES.

Pagn. Vat. Abl. Accidit autem. Syriacus. Vt moreretur pauper ille: & attulerunt eum Angeli in sinum Abrahæ, quin etiam diues ille mortuus est, ac sepultus. Arabicus. Assumpserunt eum Angeli in sinum Abrahæ. Origenes. Mortuus est simul & diues ille, & abductus est ad infernum in locum tormenti. Clem. Alex. Puniebatur apud inferos.

EXPOSITIO III.

ACTVM est autem. Notat Maldonatus, quod non casu hoc ponitur, sed vt denotetur, miseriam illam, quam antea descriperat Euangelista factum esse, vt Lazarus moreretur. Quod maxime pertinet ad exaggerandam miserabilem eius conditionem. Carthusianus, Hugo: A quo factum est, inquit, a Deo vocante ad gloriam, & a miseria liberante. Vt moreretur mendicus. Non dicitur, mortuus est, vt de diuite dicitur, sed scribitur, factum est, vt moreretur, quia talium mors, non est mors, sed transitus ad vitam. Et portaretur ab Angelis. Tanquam Dei ministris: portatur non tanquam pondus aliquod, quod humeris, vel dorso defertur, sed portatur ab Angelis tanquam securè, ac tuto magno comitatu, ac apparatu ducatum præbentibus in cælum, vt explicat D. Chrysofomus concion. 1. de Lazaro: In sinum Abrahæ, in locum quietis, & magnæ dulcedinis, de quo quæst. sequenti in limine, & dicitur portatus in sinum Abrahæ; non in Purgatorium, ex quo conieci, quanra fuerit sanctitas, ac perfectio huius pauperis, quod nullum habuisset peccatum igne Purgatorio expiandum; vel quia paupertatis, ac ægritudinis Purgatorio expurgauit aliquod suum peccatum commissum. D. Laurent. Iustin. de paupert. cap. 3. Pauperus, ait, est caminus purgans, & eliminans sordes vitiorum, iuxta illud Isai. 48. num. 10. Collige te in camino paupertatis. Hoc namque patet in Lazaro

mendico: purgavit enim ignis pauperem vlcerosum.

Mortuus est diues. Qui tanta sua opulentia, purpura, bysso, epulis longam vitam sibi promittebat, ipsis tamen suis delitiis sibi mortem præparauit. Et sepultus est. De paupere nulla fit mentio sepulture, quia sic corpus fuit terræ mandatum, vt anima eius in cælum volaret; diues verò sic sepultus, vt anima eius in inferno demergeretur, vel quia pauper sine vlla funeris pompa conditus est, diuitis verò cadauer multis aromatibus delibutum, ac amplo, & illustri sepulchro reconditum, vt notat Euthymius. Tamen vt bene ait D. Augustinus sentent. 89. inter eas, quas colligit Prosper: Sicut peccatoribus nihil profunt exequia sumptuose: ita nihil nocent, aut viles, aut nulle sanctorum pauperum sepultura. Explicatur in textu: In inferno, damnatorum scilicet. Vnde non bene Iacobus Faber Stapulens, explicat de Purgatorio. Nam Abrahamus epuloni dixit magnum chaos esse firmatum inter nos, & vos. Vt hi, qui volunt hinc transire ad vos non possunt, neque inde huc transire. Ergo de loco damnatorum est sermo.

QUESTIO IX.

Quare pauper dicitur portatus in sinum Abrahæ?

NON in cælum defertur, quia ante Christi ascensionem iustorum hominum animæ in cælum non ascendebant, sed ad inferos descendebant. Pro quo notatur doctrina Theolog. 3. part. quæst. 52. art. 5. In visceribus terræ quatuor esse loca. Infimus tartarus damnatorum. Secundus tartaro propinquior, infantum carcer, qui originali macula sine baptismo discedunt. Tertius appellatur Purgatorium. Quartus, & supremus dicitur tur Limbus, qui iustorum animas continuit, omni peccato, peccatiq; reliquiis carentium, vsque ad Christi mortem, ad quem locum dicitur in Symbolo, quod Christus Dominus descenderit.

Hic autem locus dicitur sinus Abrahæ. Primò; quia omnes filij (id est imitatores fidei, & pietatis) Abrahæ, in summa quiete quasi in opatissimo sinu, ac amplexu parentum suauiter, ac delectabiliter quiescebant, vt explicat D. Augustinus lib. 4. de anima, eiusque origine cap. 16. D. Ambrosius, Beda, Haymon, D. Bonauent. & alij hic. Secundò, quia Abrahæ promissa fuit benedictio, & beatitudo hæc, & in eo omnibus fidelibus, Genes. 22. num. 18. Tertio, Maldonatus, Barrad. Menoch. existimant appellari sinum Abrahæ, deducta metaphora a conuiuio, qui enim a primo proximus discumbebat, in sinu primi esse dicebatur: quemadmodum dicitur Ioannes in cena recubuisse in sinu Christi, ex quo videtur significari non solum Lazarum, consecutum fuisse quietis, & salutis locum, sed etiam eximium, & ipsi Abrahæ proximum; altius tamen magnitudinem gloriæ huius mendici explicat D. Chrysofomus: Collocatur non iuxta Abraham, ait, sed in sinu Abrahæ, vt illum palparet, vt illum resocillaret, vt illum quasi clementissimus teneret in sinu, & recrearet.

Quartò, D. Chrysofologus serm. 121. Reuera fratres, ait, parum se beatum credidit Abraham, si in ipsa superna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio; & solis donis fruere diuinis, qui hic humana bona

bona crudelem se credidit quicquam si negaret. Et pulchre satis. Abrahamus summa quieti iam destinatus erat, ad quid sinus eius Lazarum excipiens quodammodo grauat? Abrahamus dum viueret veluti hospitem baiulus fuerat, hospitalique oneri semper incubuit. In illa ergo felici requie, ac Sanctorum loco minime quiescere, ac gaudere se putaret Patriarcha, si à sua antiqua charitate, ac munere hospites excipiendi vacaret, proindeque, vt supra felicitate quiescens demonstraret, sinus eius hospitem excipiens describatur. Reuera parum se beatum credidit Abraham, si in ipsa superna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio. Huc aduoco id, quod eleganter dicit Tertullianus, quærens quare cum Iob in sua felicitate omnia fuerint ei duplicata? cap. 42. num. 10. tamen filij non duplicantur, nec antiqui, qui mortui erant, reuixerunt, vt instaurata beatitudine de eorum interitu paternus animus illaretur, de illisque doleret, patientiamque illam, quam Iob in sua ærumna pertulerat, in sua gloria ab illa non vacaret, sed eam exerceret. lib. de patient. cap. 14. Sic ille loquitur: Et si filios quoque restitui voluisset, Pater iterum vocaretur, sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij, securus sic de Domino distulit, sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viueret. Pondera luma verba.

Quintò, D. Chrysol. eodem serm. 21. Erat, ait, Abraham diues valde, & eum, quem habuit in bonis presentibus parem, nunc reprobat, & patitur esse penalem. Nota sequentia verba. Præsertim cum neque pauperis huius bona, neque mala diuitis istius prodiderit sermo diuinus. Cur ergo nunc Abraham ambit pauperem, diuitem refugit, & reputat? Abrahamus diues fuerat, & tamen diuitem reiecit, ac refutat; affabiliter vero pauperem, ac dulciter excipit, imò totum pauperem amplectitur. Vt denotat verba. Abraham ambit pauperem. Deinde perpende verba sancti Doctoris: Huius pauperis bona prodiderit sermo diuinus. Nil aliud de eo scribitur nisi quod esset extremè pauper, cum multa miseria, ac egestate patienter viuens; & cum dicitur patiens pauper, in hoc publicatur de eo omnes virtutum perfectiones, & ideo pro sua multa æstimatione, tam beneuole eum excipit Abrahamus, vt pote tantis meritis locupletatum, vt non alius ei assignetur locus, nisi ipsius Abrahæ sinus. Dicit Dominus in vltima die suis electis; Esuriui, & dedistis mihi manducare. Matth. 25. num. 35. D. Chrysofolog. serm. 14. Notat quod, Non dixit Dominus esuriui pauper. & dedistis illi manducare; sed ait, esuriui ego, & dedistis mihi. Cuius rei rationem assignat. Quodammodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit. Sic pauper charus est Deo, sicque Deus illi conglutinatur; Quodammodo vt in se transfuderit pauperem. Ne aliam videatur pauper personam agere nisi ipsiusmet Dei.

Sextò, D. Chrysofom. Concion. de Lazaro. In hoc mendico, ait, humilitas intelligitur honorifica, paupertas sublimata, & in sinum Abrahæ, vt in locum suum ab Angelis asportatur. Expende verbum vt in locum suum; proprius enim locus pauperis est cælestis beatitudo, quæ per signum Abrahæ, significatur. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum calorum.

Pedibus suis solus pergebat Iacob in Mesopotamiam, destitutus omnibus bonis, itaut humicubaret, & pro reclinatorio lapidem haberet;

Cumque obdormisset, videt cælum apertum; Et scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, & Dominum in iuxta scala. Gen. 28. num. 12. Pauper, & egenus extabat Iacob; si ei liberalissimus Dominus apparet, cur ei ingentes diuitias, ac opes tribuit, vel saltem aliqua in viaticum pro itinere, vt suæ necessitati, ac indigentia subueniret. Sed solum cælum, eiusque ianua ei ostendit? Erat Iacob pauper, expeditusque, & liber ab omnibus mundi, terræque sarcinis; ideo illi vt pote pauperi nihil aliud offertur, ac datur, nisi ipsum regnum calorum, tanquam illius propria merces, ac condignum præmium. Fauet Rupertus lib. 7. in Gen. cap. 21. Iacobum imitemur, ait, quicumque depositis sacculi oneribus, nudi, & expediti ad destinatum tendunt, scilicet brauium. Illis porta cali aperitur, & ascenduntibus scala hæc erigitur, scala vero ipsa reuera nostra est vita in hoc saculo, quæ humiliato corde a Domino erigitur in cælum.

Ait parens meus Elias populo. Viuit Dominus, si erit ros, nec pluuia, nisi iuxta oris mei verba. 3. Reg. 17. num. 1. Quid ais o Propheta sancte? Non habes, quo induatis amictum, nec panem, quo vescaris, & nubibus imperas? Deficiunt tibi vniuersa bona terrena, & tuo vis imperio cælestia subiugare? Imò quia à se eiecit terrena, quia nudus terrenorum erat in cælestia audet, illisque tanquam rebus propriis imperat. D. Chrysofom. lib. de Confus. filij. Q rem mirabilem, ait, nec vestem quidem habuit, quia nihil possedit; idcirco multam exhibuit potestatem, cum labra tantum deduxit, vt innumeri è calo thesauri laberentur, effecit, o sanctum os, cui fontes imbrum inerat. Vide multa in indice. Verbo, Paupertas.

QUESTIO X.

Quare Lazarus asportatur in sinum Abrahæ non ab vno Angelo, sed à multis?

VITA rerum abundantia viuebat diues; Lazarus verò in multa paupertate, quoniam illorum felicissimus sit existimandus, illorum exitus demonstrat. D. Chrysofolog. serm. 121. En fratres, ait, quam rerum lamentanda mutatio: pauperem portant Angeli, diuitem deglutiit infernus. En fratres mors pauperis totam diuitis pompam transcendit, & gloriam. Non ex temporali pompa, sed ex mortis euentu vera felicitas censenda est; nam diues cum tota sua opulentia demergitur in infernum; Lazarus vero portantibus Angelis defertur in cælum.

Ad nostram quæstionem respondet. Primò, D. Chrysofom. homil. de diuite. Non suffecerat, ait, ad portandum pauperem vnus Angelus: sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitia faciant. Et portatur ab Angelis. Gaudet vnusquisque Angelorum tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægramantur, vt ducant homines ad regna calorum. Mirum sanè, quòd plures Angeli ad deducendum vnum pauperem conuenerint, cum ad quodlibet quantumuis graue onus deferendum vnus satis sit Angelus; portabant Angeli pauperem in sinum Abrahæ, in viamque salutis, ac proinde pro ingenti gaudio, quo de hominis salute exultant,

Imperfect.

62.

Abrahamus sine suo pietatis munere non estimaret gloriam.

Tertullian. Iob. 42.

Iob in sua felicitate exercet suam antiquam patientiam.

66. Chrysol.

63.

Quatuor loca sub terra.

64.

Quare dicitur in sinum Abrahæ?

August. Ambros. Beda. Haymon. Bonauent. Genes. 22. Maldou. Barrad. Menoch.

Pauper in alio sublimatur loco, & dignitate.

Matth. 25. Chrysofolog.

Deus quodammodo transfunditur in pauperem.

67. Chrysof. Cælum pauperum merces.

68.

Chrysof.

69. Chrysofolog.

Gen. 28.

Pauperus est regnum calorum.

Rupertus.

69.

3. Reg. 17.

Chrysol.

70.

Chrysol. Vera felicitas ex vnusquisque morte censenda est.

71.

Chrysof.

Gaudet Angeli de salute nostra, & quod hominè portent in cælum.

61. Maldon.

Carthus. Hugo.

Chrysof. Paupertas est veluti, quoddam Purgatorium.

Iustinian.

Isai. 48.